

rationem; vel excludit ab illis meritum duntaxat *de condigno*, tanquam communius intellectum sub nomine meriti absolute et simpliciter dicti. Denique si etiam permittatur, Concilium non tantum præscindere a merito congruo, sed illud etiam de fide et operibus justificationem præcedentibus negare; inde tamen non sequitur, quod adversarii intendunt, negari etiam rationem *dispositionis*, utpote quam TRID. expressis verbis attribuit fidei, aliisque hominis actibus. S. AUG. verbis allatis negat meritum operibus legis et sine fide factis, non vero fidem comitantibus, et ex dono gratiæ profectis.

Inst. 2. Opera omnia, quæ justificationem præcedunt, vel mala sunt, vel mortua; ergo nequidem dispositiones esse possunt. *Prob. Ant. 1^a.* p. ex S. AUG. in Psalm. 31. n. 7. scribente: *Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum: attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala.* 2^a. p. vero constat ex eo, quia sicut homo ante justificationem est mortuus, sic etiam ejus opera sunt mortua.

R. N. A. Quod damnavit TRID. Sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; anathema sit.*

Ad prob. 1^{am}. R. AUG. loqui de operibus ante fidem, non autem ex fide factis; quia in sequentibus sic loquitur: *Debebat (tibi Deus) vindictam; dat indulgentiam: incipis ergo esse in fide per indulgentiam, jam fides illa assumpta spe et dilectione incipit bene operari, etc.*

Ad prob. 2^{am}. N. ASS. Sunt opera mortua, h. e. non sunt informata gratia sanctificante, quæ est vita animæ, nec sunt a Spiritu sancto operantem inhabitante C. h. e. sunt mortifera et peccata, seu nequidem procedunt ex gratiæ auxilio, nec sunt a Spiritu sancto operantem movente, excitante et adjuvante, nec sunt dona Dei N.

Inst. 3. Nec actus nostros exspectat Deus ad justificationem, ut ex ARAUS. II. patet, quod Can. 4. ait: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, resistit Spiritui sancto.* Nec eos semper sequitur justificatio; cum plures etiam poenitentes non justificentur; ergo illi proprie non disponunt.

R. Quoad 1^{am}. D. A. Deus non exspectat actus nostros in vocando, seu conferendo gratias prævenientes C. in justificando seu conferendo gratiam sanctificantem N.

Quoad 2^{am}. D. Actus nostros qualescumque non sequitur justificatio C. Actus nostros debito modo ac numero positos N. Quales et quot esse debeant actus ad justificationem infallibiliter disponentes, exponit Sess. 6. c. 6. TRID.

418. *Dico III.* Fides et reliqui actus supernaturales requisiti sunt *vere dispositiones, præparationes et impetrationes* justificationis. Est *de fide*.

Prob. I. Ex SCRIPTURA, quæ voce præparationis utitur. 1. Reg. 7. v. 3. *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferite Deos alienos de medio vestri, et præparate corda vestra Domino.* Eccli. 2. v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Amos 4. v. 12. *Postquam hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel.*

II. Ex PATRIBUS. AUG. in expos. c. 3. ad Gal. n. 27. *Filii sunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante Mediatoris fide.* Et L. de prædest. Sanct. c. 7. *Ipsa (Fides) prima datur, ex qua impetrantur cætera,*

BASIL. in Psal. 33. n. 9. *Timor salutaris, qui ad sanctitatem ducit, qualis existat, attende.* AMBR. L. 1. de Poenit. c. 1. n. 4. *Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* AUG. de catech. rud. c. 4. n. 8. *Quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.* AMBR. L. 7. in. c. 14. Lucæ, n. 204. *Nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem; hoc est, fidem habeat et charitatem.* AUG. L. 4. contr. Jul. c. 3. n. 33. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo, etc.*

III. Ex TRID., quod Sess. 6. c. 5. dicit exordium justificationis sumi a vocatione, ut homines a Deo aversi, *per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando, disponantur;* tum c. 6. subjungit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam;* c. 7. autem sic inchoat: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur;* et in contextu ait, justitiam distribuit *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem:* demum can. 4. et 9. aperte definit, hominem excitatum et a Deo adjutum aliquid operari, *quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet.* Item necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, etc.

419. *Obj.* Fides ad justificationem requisita tum ex definitione tum ex effectu sumenda est pro *fiducia;* ergo fides specialis est admittenda. *Prob. Ant. 1^o.* ex ep. ad Hebr. 11. v. 1., ubi dicitur fides *sperandarum ἐπόστασις rerum,* quod non exponi debet *substantia,* sed *expectatio,* prout sumitur Psal. 38. v. 8. Et ad Hebr. 3. v. 6. et 14. intelligitur. 2^o. Ex Matth. 9. v. 2. ubi dum Christus dicit paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,* fidem, per quam peccata delentur, nihil aliud esse declaravit, quam firmam in Christo fiduciam.

R. N. A. Quia quamvis Scriptura, Patres et Trid. spem ac fiduciam exigant ad justificationem, nec fidem tamen confundunt cum fiducia, nec fiduciam ponunt in confidentia absoluta et persuasionem ex omni parte certa de remissione peccatorum sibi concessa.

Ad prob. 1^{am}. N. ASS. imprimis enim ἐπόστασις recte exponi per substantiam suadet, tum Interpretum Græcæ linguæ peritissimorum, nempe S. CHRYS., THEODORET. et THEOPHYL. in hunc locum vulgatæ versionis congrua expositio: tum expositionis veritas, quia fides est spei nostræ basis ac fundamentum, prætereaque rebus sperandis tanquam necdum subsistentibus tribuit in mente *subsistentiam,* in quantum præstat, ut, quæ nec videntur, nec adhuc sunt, quasi præsentia sint animo et firmiter hæreant.

Neque his obstant citati textus: licet enim dum in Psal. legitur: *et substantia mea apud te est,* in Hebræo dicatur *expectatio mea,* septuaginta tamen Interpretes, gnari expectationis nomine rem ipsam expectatam, veram scilicet vitam, significari; ἐπόστασις verterunt. In cap. autem 3. ad Hebr. per *initium substantiæ* non intelligitur fiduciæ, sed fidei initium, quia Apostolus de novæ in Christo creaturæ initio loquitur, quod tribui debet fidei, utpote per quam Christus in nobis formari incipit, sicut per dilectionem perficitur. Accedit, quod in principio cap. 1. ad Hebr. Filius dicatur

figura substantiæ Patris, quo vocabulo non significari expectationem, sed personam Patris subsistentem apud omnes certum est.

Deinde transmissio etiam, quod ὑποστάσιως nomine intelligatur expectatio; inde tamen fiducia illa Heterodoxorum justificans colligi nequit; cum sperandæ res non indicent hic loci misericordiam Dei peccata remittentis et iustitiam imputantis, sed vitam æternam et corporis resurrectionem dantis, ut ad Tit. 2. v. 13. exponitur: *Expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei*. Similia ad Rom. 8., alibique habentur.

Ad prob. 2^m. N. Ass. Nam 1^o. Fiducia hic tantum exprimitur, utique ad justificationem necessaria; non autem eandem esse cum fide asseritur, quæ præcedere debet, ut Trid. Sess. 6. c. 6. hunc ipsum textum adducens ostendit.

2^o. Cum *paralyticus* sanitatem corporis quæreret, Christus volens illum perfecte et radicitus sanare, tollendo scilicet tum morbum, tum morbi causam h. e. peccatum, postulavit ab eo non *fidem specialem* de propria iustitia, (utpote de qua corporeæ salutis cupidus nihil ante cogitavit, nec audierat etiam, maxime per Christi iustitiam sibi imputandam) sed spem futuri beneficii, seu *talem fiduciam*, qua speraret non tantum sanitatem, sed et remissionem peccatorum, ac omnia ad eam necessaria se accepturum; unde verosimile est, Christum vel interius ad memoriam peccatorum et eorum detestationem illum excitasse, cum diceret: *confide, fili*; vel saltem aliquem pœnitentiæ motum simultaneum inspirasse, cum adderet: *remittuntur tibi peccata tua*.

3^o. Quamvis permittamus *paralyticum* excitatum fuisse ad specialem illam fiduciam a Christo, eamque ab illo cum exclusione omnis timoris esse conceptam, perperam tamen exemplum hoc objicitur; quia et Christus ipse, quem Deum credere oportebat, et sine omni ambiguitate verborum remissionem peccatorum paralytico impendebat: nobis vero Christus ipse nostram dispositionem perspectans *visibiliter* non tribuit remissionem, sed impendunt absolutionem sacerdotes, quos interior animus noster latet.

Inst. 1. Fides, qua Abraham justificatus fuit, nihil erat, nisi fiducia in Dei promissionem; nam in ep. ad Rom. 4. v. 16. de eo Paulus ita loquitur: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*; et v. 18. addit: *Qui contra spem in spem credidit*; demum v. 20. et seqq. adjungit: *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est in fide, dans gloriam Deo, sciens plenissime, quia, quæcumque promisit, potens est et facere: ideo et reputatum est illi ad iustitiam*; ergo.

R. N. Ass. Neque enim hoc probatur ex textu primo; tum quia per vocabulum *promissionis* non intelligitur remissio peccatorum, sed vocatio gentium, ut patet ex toto sensu: *Ut firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed et ei, qui ex fide est Abraham, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te*: tum quia per vocem *fidei* non significatur fiducia seu fides specialis, sed fides dogmatica, seu quam vocant *historicam*; cum in textu tertio exponatur ejus objectum esse *omnipotentiam* divinam ad quæcumque a Deo promissa re ipsa præstanda.

Neque ex textu secundo; quia sensus est: Abraham ob divinam promissionem de filio sibi nascituro datam, credidit se consecuturum a Domino sobolem, vel posse sperare filium ex Sara, quamvis id naturaliter sperare

non posset, cum fere centum esset annorum, et emortua pariter vulva Saræ, ut ibidem inquit Apostolus.

Neque ex tertio; tum quia *diffidentia* non usurpatur hic ut opposita fiduciæ, sed fidei; cum in Græco legatur ἀπιστία, h. e. incredulitas; quo sensu etiam dum Jac. 1. v. 6. dicitur: *postulet autem in fide nihil hæsitans*, postrema vox in Græco exprimitur διακρινόμενος, h. e. dijudicans et in dubium revocans: tum quia, si tribuatur etiam Abrahamæ confidentia certa; tamen imprimis illa non erat fides ipsa, sed *effectus* fidei, qua in Dei veracitatem et omnipotentiam credebatur: deinde non habebat pro *objecto* remissionem peccati, sed sobolis nativitatem: præterea si nihilominus admittatur tanquam fiducia sine ullo timore firmissima et tanquam justificativa; tamen nec illa fides erat solitaria, cum Abrahamæ *obedientia* satis sit nota et in Scripturis laudata: nec comparari potest cum nostra, quia ejus objectum specialiter revelatione innotuerat Abrahamæ, quod nobis non contingit.

Demum nec congruit Hæreticorum systemati; quia probat *iustitiæ incrementum* ab iis pernegari solitum; cum de Abrahamo annu ætatis 84. agente asseratur Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam*; textus autem tum Apostoli, tum Genes. 17. de Abrahamo jam 99. annos nato, rursus de iustitia, non amissa et recuperata, sed aucta loqueretur.

Inst. 2. Fides non justificat, ut respicit *historias*, quia proposito Deum non placari, nisi morte filii, potius terremur, quam invitamur ad pœnitentiam: nec ut respicit *minas* et judicia Dei, ex simili ratione: nec ut respicit *mandata* et leges Dei; quia ex postulata legis observatione accurata, quæ est impossibilis, rursus ad desperationem homo adigitur: nec ut respicit *promissiones generatim* propositas, quia promissio, nisi speciatim applicata, pacem animi non adfert, nec tranquillitatem; ergo fides non justificat, ut respicit promissiones nobis specialiter convenientes; quales sunt ad Galat. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*, et 2. *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, etc.*

R. 1^o. Errare adversarios in supposito, cum volunt *fidei justificantis* officium esse, ut reddat homines certos ac securos de remissione peccatorum et salute æterna.

R. 2^o. Falsa esse pleraque Antecedentis membra quoad suas probationes. Nam 1. multæ sunt *historiæ*, quæ nos *in spem* erigunt; et licet mortis Christi historia ostendat summam Dei iram contra peccatum, simul tamen declarat, mortem illam fuisse pretium redemptionis nostræ.

2. *Comminationes* quidem non justificant adherendo securitatem, sed revocando a peccato et disponendo ad iustitiam; cum timor Domini sapientiæ sit initium, ut Scriptura ait; et exponente Trid. homines divinæ iustitiæ timore utiliter concussi, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo *in spem* erigantur etc.

3. Fides respiciens *leges* et *mandata* excitat in homine propositum ea observandi seu bene agendi, sine quo nemo justificari potest; unde sicut eandem ad justificationem disponere certum est, sic aliunde falsissimum constat esse, quod de impossibilitate observandorum Dei mandatorum adjicitur.

4. Fides respiciens promissiones *generatim* factas, illas etiam nobis appli-

care potest et debet speciatim, non tamen ad tollendam omnem sollicitudinem ac timorem, cum hæc ad spem non requirantur; neque absolute ac sine omni conditione, sed cum debitis conditionibus ex parte nostra positis.

Unde R. 3^o. Falsam quoque esse consequentiam, utpote quæ supponit propositiones illas pertinere ad singulos non solum quoad *sufficienciam*, quod nos etiam affirmamus, sed et quoad *efficaciam*; idque vel absolute et sine omni conditione a nobis præstanda, vel sub conditione solius fidei, quod hactenus refutavimus.

420. *Dico IV.* Fides ad justificationem requisita, nec est *specialis promissionum fides*, nec per modum *meri organi* et instrumenti concurrat, quo apprehendatur justificatio. Est de fide, ex TRIN. Sess. 6. Can. 12. et 14.

Prob. 1^a. p. Fides illa *Novatorum* specialis, qua quis credat se esse justificatum, aut sibi remitti, vel non imputari peccata, 1^o. non est *sufficiens*; quia, etsi etiam permittatur ad justificationem necessaria, tamen præter eam necessario requiritur fides dogmatica et catholica. 2^o. Non est *necessaria*; quia necessitas hæc nec habetur ex ipsa natura rei, ut facile dabunt Heterodoxi: nec habetur ex institutione divina, cum nullibi in S. Scriptura talis fides a nobis postuletur; fiducia autem in Dei providentiam, misericordiam vel promissionem concipienda, possit esse sine tali fide seu certitudine de remissis sibi peccatis et imputata justitia. 3^o. Est *impossibilis*, loquendo secundum legem ordinariam, et secluso privilegio; quia, ut illa fides specialis sit possibilis, oportet, ut promissio de remissione peccatorum *singulari* homini faciendâ vel factâ, sit absoluta; cum afferat singulari homini obligationem credendi, peccata sibi esse remissa: verum non potest ostendi, promissionem absolutam hujusmodi esse ullibi factam; sed potius patet tantum promissam esse remissionem peccatorum hominibus *universim*, sub hac conditione, si egerint pœnitentiam, vel alia simili; ergo.

Conf. 1. Si certo atque ex fide credere debeo, peccata mihi esse remissa per Christum; ergo nec cum publicano dicere possum: Deus, propitius esto mihi peccatori; aut cum Ecclesia orare: dimitte nobis debita nostra; nec opus est baptismo, vel pœnitentia, vel aliis remediis peccatorum divinitus institutis: sed sic *fides ista specialis* non tam est justificans, quam justificationem impediens; ergo.

Conf. 2. Fides specialis juxta *Calvinum* et alios novatores est justificans simul et certus nos reddens de *prædestinatione*: sed ejusmodi fides seu fiducia, qua quis certus est se esse prædestinatum, jam præsupponit justificationem, et pendet a bona conscientia ac perseverantia, juxta illud 1. Joann. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et ibid. 2. v. 28. *Manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam*; ergo.

Prob. 2^a. p. Modus justificandi per fidem tanquam per *organum et instrumentum*, quo promissio justificationis, vel ipsa justitia apprehendatur, non habet fundamentum in Scriptura, utpote in qua de hoc fidei officio nulla penitus mentio facta ostendi potest: non fundatur in *natura fidei*, quia si hæc statuatur in assensu intellectuali, illa non apprehendit, sed rem apprehensam appendit, discernit et approbat: si vero ponatur in voluntatis

fiducia, rursus non apprehendit, sed rei jam apprehensæ firmiter adhæret: non tribuit fidei præcellentiam, quæ potius amori, quam fidei esset tribuenda: denique nihil veritatis in se continet.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT NATURA JUSTIFICATIONIS?

421. *Nota.* Tres sunt præcipui *Lutheranorum* et *Calvinistarum* circa justificationis naturam errores. 1^{us}. quod velint in justificatione peccata vere et proprie non deleri, sed tantum non imputari ad pœnam, ob Christi justitiam, qua circumvestimur: 2^{us}. quod velint justificationis naturam in mera illa peccati non imputatione consistere, absque interiori hominis renovatione et sanctificatione: 3^{us}. quod velint justificationem non fieri per formam internam ac inhærentem, sed externam et imputatam; justitiam nempe Dei vel Christi ope fidei apprehensam. Equidem contra hos errores veritatem Catholicam jamdum vindicavimus; quia tamen *Hæretici moderni* contendunt, a nobis male sanctificationem, seu renovationem hominis cum justificatione confundi, et attribui justificationi, quæ *aliis donis* referenda sunt; non abs re erit, recensitos errores omnes, quantum contra has exceptiones necessum est, refutare.

422. *Dico I.* In justificatione impii a Deo vere remittuntur peccata. Est de fide.

Prob. I. Ex Scriptura. 1^o. Ex *verbis*, cum quorum significatione propria nequit componi sensus *Hæreticorum*. Ejusmodi est 1. *delere*: Psal. 50. v. 11., Isa. 43. v. 25., etc. 2. Sunt verba *lavare* et *mundare*; Psal. 50. v. 4., etc. Isa. 1. v. 18. 3. Sunt verba, quæ peccata penitus ablata significant; Psal. 102. v. 12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*; Mich. 7. v. 19. *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu.*

2^o. Ex *Prophetiis* et testimoniis de fine adventus et redemptionis Christi. Nam Jerem. 31. v. 34. dicitur, et ad Hebr. 10. v. 17. repetitur: *Propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius*; Petrus Act. 10. v. 43. provocans ad Jerem. 31. v. 34. et Mich. 7. v. 18. ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*; Joann. Baptista autem Joann. 1. v. 29. *Videns Jesum venientem ad se, inquit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Paulus denique ad Hebr. 9. v. 28. scribit: *Christus semel oblatum est ad multorum exhaustiendâ peccata*; et c. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*

3^o. Ex effectu Sacramentorum, maxime baptismi; de quo vid. Tr. de Sacram.

II. Ex Traditione. 1^o. ex Patribus. inter quos CHRYS. hom. 2. in Ps. 50. n. 8. ait: *Ea sola (gratia) sordes meas, perfecte abstergere, ac nivis candorem mihi conciliare potest.* AUG. in Ench. c. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum*; GREG. L. 14. ep. 45. (Opp.